



Ditio Trans Isulana

<https://hdl.handle.net/1874/430469>



Blonk
DIV-58

A R T E S I A E

C O M I T A T V S.



*Regio.
Unde di-
cta.*

ARTE SIA maximam partem complectitur eorum, qui Cæsari *Atrebates*, ab urbe primaria, quam ipse vocat *Atrebatum*. Marius tamen Niger hic constituit *Ambianos*. Ptolemæus etiam *Atrebatium* inter *Sequanam* & *Phrudium* qui nunc dicitur *la Somme*, collocat: Nomen autem recens *Artesia* à voce *Arras* qua nunc Metropolis nuncupatur, quasi *Arratesia* per syncopen extrita syllaba formatum, vulgo *Artois*. Termini hodie sunt, à Septentrione *Flandria*, à qua discreta est fluvio *Lisa* & nova Fossa: ad Austrum & Occasum *Picardia*, ad Orientem *Flandria Gallica* & ager *Cameracensis*. Aër suavis & serenus, regio fertilis, imprimis *Tritici*, cujus copiam non suis tantum abundè suggerit, sed vicinis quoque *Flandris*, *Brabantis*, aliisque. *Antverpiensium* & *Mechliniensium* hoc unicum horreum est. Vino caret, ignava potius *Incolarum* socordia, quam vel *Cœli* vel *Soli* injuria. Ditio hæc olim *Flandrorum*: Totam enim *Balduino Arduennati* dotis loco dedit *Carolus Calvus*, quum is *Juditham* uxorem duceret. Postea *Philippus Alsatus* quum *Neptem* suam *Isabellam* locaret *Philippo Ludovici VII Galliarum Regis* filio dotem ei dedit *Flandriam Occiduam*, hoc est tractum eum qui est à nova Fossa, usque in *Picardiam*. Eum *Philippus* anno *M cxcv*. fecit *Comitatensem*, deditque filio suo *Ludovico*, qui primus *Artesia* Comes fuit, postea *Gallia* Rex, & pater *Ludovici Sancti*. Anno vero *M. ccc xxcii* *Ludovicus Malanus* Comes *Flandria* post *Matris* obitum factus est *Comes Artesia*:

*Situs:
Aëris
temperies.
Soli ferti-
litas.*

*Imperium
majorum.*

atque ita rursus uterque *Comitatus* conjunctus fuit. Obitu autem *Caroli Audacis Burgundia* Ducis *Ludovicus XI* *Gallia* Rex iterum *Artesia* potitus est; quæ postremum pacto & foedere *Caroli VIII Gallia* Regis & *Maximiliani Imperatoris* cessit *Philippo Austriaco* *Maximiliani F. patri* *Caroli V.* anno *M. ccccxcii*. Urbes præcipuas habet *Atrebatum*, *Fannum S. Audomari*, *Bethuniam*, *Ariam* & *Bapalmam*; cæterè minores sunt. *Atrebatum*, vulgo *Arras*, *Atrecht*, ad *Scarpam* fluvium situm est, ingens, propugnaculis fossisque munitissimum, speciem refert duarum urbium quarum, alteram vocant *la Cité*, estque juris *Episcopalis*: alteram *la Ville* estque juris *Principalis*. Minor illa est, sed amœna, habetque templum *cathedrale* elegantissimum, sacrum *B. Virgini*. Hic magna religione, & egregio cum peregrinorum lapidum apparatu, certum *Manna* adservatur, quod *D. Hieronymus* ætate sua, ad hanc regionem pluissè, suis in *Epistolis*, refert. Hæc major, ædificiorum platearumque capacitate & fori amplitudine vehementer laudata. *Domus* omnes fornicibus subterraneis capacissimis sustentantur, adversus *obsidionis* vim excavatis. Habet præterea *Bibliothecam* *Manuscriptorum* *librorum* omnis generis, sed potissimum *Theologici*. Patria hæc fuit *Fr. Balduini*, *Jurisperiti* celeberrimi, cujus *Parisiis* *Monimentum* in æde *Maturini* est tale: *Cujaci, Balduinus hic jacet. Hoc tecum reputa & vale. Mortuis nobis juris prudentiam gravis corripit & sopor. Franc. Bald. Jurisc. ob. anno at. liv. xi. Novemb. a partu Virginis M. D. lxi. Papirius Massonus Balduini auditor P.* In eadem civitate natus clarissimus *Carolus Clusius* eruditionis omnis atque elegantia decus, qui post